VRBANVS PP. VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Nuper pro parte dilectorum filiorum Capli, et Canonicorum Eccliae Toletan. nobis expositum fuit, quod inter Caplum praedictum, et Executores testamentarios bo: me: Petri S. R. E. Carlis Gonzalez de Mendoza dum vixit Archiepi Toletan. celebrata est concordia scilicet quod Canonicus dtae Eccliae, qui electus fuisset in Rectorem Hospitalis Sctae Crucis Civitatis Toletan. ab eodem Petro Cardinale fundati, non plus, quam per unum annum praedictum officium Rectoris posset exercere, quo transacto, alter a Caplo forma praescripta eligeretur, verum quia saepe contingere quod multi Canonici eiusdem Eccliae aut propter senectutem, aut infirmitatem, aut quia non sunt Pbri, quod requiritur, vel non possunt, vel nolunt praedictum officium Rectoris acceptare. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune ut infra providere de benignitate aplica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Quod non obstante tali concordia, si Canonicus, qui per unum annum praedictum officium Rectoris habuerit, ita pie, et laudabiliter illud exercuerit, quod maiori parti totius Capli videatur convenientius esse ad dicti Hospitalis maiorem utilitatem, et gubernationem, in dicta Rectoria continuare, Caplum praedictum, seu maior pars illius ipsum per alium, aut per duos annos eligere libere, et licite possit, et valeat, ita quod reelectione huiusmodi modo praescripto facta, Caplum praedictum alium Canonicum iuxta formam dtae concordiae de novo eligere non teneatur, dummodo ultra plusque per tres annos non possit unus Canonicus idem officium Rectoris retinere, nec ad illud per maius tempus reeligi aplica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere, et fore, dictisque exponentibus plenissime suffragari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Aplici Auditores iudicari, et diffiniri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus, et ordinationibus aplicis, ac dtae Eccliae etiam iuramento, confirmatione aplica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris aplicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die V. Decembris M. DC. XXXIII. Pontus Nri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus

Diputación de Toledo. Servicio de Archivo